

Index Initialis Bullarum.

Inter cetera . 285
Inter multiplices . 108

M

Militantem Ecclesiam . 198
Militanti Ecclesie . 422
Militantis Ecclesie . 60. 177. 237
Motu proprio . 392

N

Nomine dilecti filii . 329
Nobis nuper . 315
Nuper . 181. 194. 195. 242. 284. 290. 294

O

Officii nostri . 201
Omnes gentes . 210
Omnipotens . 17
Omnipotentis Dei . 97
Onerosa . 182. 274. 416
Orthodoxa fidei . 272. 384

P

Pastoralis officii . 90. 168. 379. 424
Pastoris eterni . 91. 269
Paterna . 299. 300
Pias Christi fidelium . 92
Pietatis . 275
Pius Catholicorum Regum . 109
Pontificia sollicitudo . 298
Preclara . 190
Pro excellenti . 74
Pro nostro munere . 340

Q

Quae ad restituendos . 347
Quoniam . 200

R

Rationi congruit . 123. 131. 137
Regimini . 94. 98. 112
Regularis disciplina . 250
Rerum . 203
Romanum decet . 28
Romanus Pontifex . 37. 173. 196. 236.
247. 303. 325. 402.
Romani Pontifices . 221
Romani Pontificis . 38. 47. 358

S

Sacra Congregatio . 248
Sacrosancta . 38. 185
Sacrosancti . 147. 243
Sacrosanctum . 226. 268. 295. 305.
311. 327. 361. 423.
Salvator noster . 307. 333
Salvatoris . 301. 376
Sanctissimus . 45. 152. 186. 251. 254.
255. 256. 318. 359.
Secretis . 289
Sedes Apostolica . 69. 324
Sincera fidei . 88
Singularia . 208
Singulari . 204
Superni benignitas . 201

T

Tonitrua . 316

V

Universalis . 205. 277
Universi . 54. 67
Ut ea . 218
Ut in proseguendo . 204
Ut penuria . 241

AN. CH.
1622.

AN. CH.
1622.



CONSTITUTIONES
GREGORII XV.
ANNO II.

De Exemptorum privilegiis circa animarum curam, & Sacramentorum administrationem, & Sanctimonialium Monasteria, & Prædicationem Verbi Dei.

Nonnulla dubia super ista Constitutione exorta fuere, super quibus emanata sunt declarationes Sacrae Congregationis Concilii, ab istomet Gregor. & Urban. VIII. ejus Successore respective approbata, quæ hic subiiciuntur.

GREGORIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus
Consuet.



INSCRUTABILI DEI providentia universalis Ecclesie regimini, meritis licet imparibus, præfidentes, pastorales nostræ sollicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipue incumbere, ut a dignis, & probatis tantum Sacerdotibus sancte administrantur ecclesiastica Sacramenta, atque ut Virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissime custodiantur, & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubriter exequendum.

Concil. Trid. sess. 23. c. 1. circa Confessorum idoneitatem, & approbationem disponit.

§.1. Sane Tridentinae Synodi decretis provide tantum est, nullum Presbyterum, etiam regularem, posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneam reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliis idoneis judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

Et sess. 24. c. 11. & c. 1. circa sanctimonialium statuta.

§.2. Necnon ut in Monasteriis, seu Domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum,

seu locorum familia personarum tam regulares, quam seculares ejusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis, quæ ad d. curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, vilitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diocesi sunt sita. Itemque, ut Episcopi universi sub obestatione divini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicæ autoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes, atque contradicentes per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compellentes.

Et sess. 24. c. 11. circa Prædicatores Verbi Dei.

§.3. Atque, ut regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesiis vero, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia: Contradicente autem Episcopo, nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, prædicare præsumant.

Hic autem Pontifex super hujusmodi decretis nonnulla adjicit quæ ad exemptorum, privilegiarum, animarum curam, & Sacramentorum administrationem.

§.4. Verum, quia experientia comperit, ecclesiastici regimini rationes postulare, ut decretis ejusmodi aliquid adjungatur, matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de apostolica potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuo valitura Constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, ut deinceps tam regulares, quam seculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum secularium Monasteriis, seu Domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, sive regularibus, sive secularibus incumbentem exercent; sive aliis ecclesiastica sacramenta, aut unum ex illis ministrant, prævia Episcopi licentia, & approbatione, sive quoquomodo in dicta curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto, absque ulla auctoritate se ingerant in his, quæ ejusmodi curam, seu administrationem

CON-

A

con-

Bull. Rom. Tom. V. Par. V.

concernunt, omnimoda jurisdictioni, visitationi, & correctioni Ducefani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicæ delegati, plene in omnibus subiciantur. Ad hæc tam regulares, quam seculares hujusmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

Et quoad Confessores.

§.5. Confessores vero, siue regulares, siue seculares quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad Confessiones Monialium, etiam regularibus subiectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Ducefano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & administrantes bona ad eisdem Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam regularibus subiectarum, pertinentia, siue regulares extiterint, siue seculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, atque Administratores amoveant; iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi quoties, & quando opus esse judicaverit. Ac similiter possit Episcopus, una cum superioribus regularibus, quarumcumque Abbatisarum, Priorisarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorundem Monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere; absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

Et quoad Prædicatores.

§.6. Ac demum habeat Episcopus, tamquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos tam seculares, quam regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumperint. Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus in prænomatas personas, in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem Sedis delegati, procedere, omnemque jurisdictionem exercere libere, & licite valeant.

Et ita, nec aliter iudicari posse decernit

§.7. Decernentes, sic per quoscumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatii Auditores, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis,

& eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere; irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis omnibus ple-ne derogat.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Jo: Hierosolymitanis, Congregationum, Societatum, ac cujusvis terius instituti, etiam necessario, & in individuo exprimentis, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque tam secularium, quam regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla Aurea, aut aliis nuncupatis; Conservatorum deputacionibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minime teneantur; & quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolica potestate plenitudine, aut aliis quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea, quæ eisdem præsentibus adverfantur, illis aliis in suo robore permanens, specialiter, & expresse derogamus, caterisque contrariis quibuscumque.

Publicationes Romæ factæ, omnes ligare statuit.

§.9. Caterum, quia difficile foret, præsentibus literas ad singula quæque loca deferri, ut ex tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranen., & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque de tractis, earum exempla eo in loco relinqui.

Transumptis credi mandat.

§.10. Ac volumus, ut earundem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsi originali-

originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctionem penalem subiciit.

§.11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. die 5. Febr. 1622. An. II.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, nonis Februarii, Pontificatus Nostri Anno II.

In nomine Domini Amen. Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1622. indictione sexta, die vero octava Mensis Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. Gregorii divina providentia Papa XV. anno Secundo, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranen., Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earundem literarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde remotis, deinde dimissis earundem literarum copiis affixis, ut moris est, per nos Cosmum Modium, & Alexandrum de Rocchis Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursores.

Octavius Spada Magister Cursorum.

Subsequuntur hic aliquot Dubia super ista Constitutione exorta: Quorum resolutiones mox subiciuntur.

Postea Constitutione Gregorii Papæ XV. de Exemptorum privilegiis &c. Dubitatur.

I. AN liceat Episcopis visitare Altaria regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, aut loca, ubi in iisdem Ecclesiis asseratur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur Confessiones personarum secularium?

II. An Episcopi possint Regularibus præscribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias illorum privilegia restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis?

III. An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos tam seculares, quam regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius Diocesis?

IV. An eadem facultas competat inferioribus Prælati proprium territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?

V. An per eandem Constitutionem in illis verbis, possit Episcopus una cum superioribus regularibus quarumcumque Abbatisarum, &c. electionibus per se, vel per Bull. Rom. Tom. V. Par. V.

aliud interesse, ac præsidere; jus Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censetur.

VI. An Confessores Monialium ante editam Constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari?

VII. An Superiores regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus sanctimonialium sibi subiectarum audiendis.

VIII. An Confessiones, quas audiunt Superiores regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, necne?

IX. An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum secularium audiendas, censentur etiam approbati ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum?

X. An Regularis ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatus, Confessiones Monialium alterius Monasterii audire possit?

XI. An Confessores Regulares extraordinarii semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro una vice infra annum ad præscriptum sacri Concilii Tridentini, possint, virtute dictæ approbationis, pluries tamquam Confessores extraordinarii, earundem Confessiones audire, absque nova Episcopi licentia?

XII. Cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, ut amoveant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad earundem Monialium Monasteria pertinentium; iisque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi quoties, & quando opus esse judicaverit: An ejusmodi causam Episcopus Superioribus regularibus significare teneatur?

XIII. An eadem Constitutio qua parte supponit Episcopi jurisdictioni Regulares delinquentes circa personas degentes intra septa Monasteriorum Monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorundem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an vero solum in notoriis, & cum scandalo populi?

Subsequuntur declarationes ad supradicta Dubia a Congregatione Card. S. Concilii Tridentini Interpretum data, & a Gregorio XV. ac postmodum ab Urbano VIII. respective approbata.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Constitutionem san. mem. Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, nequaquam subiciere Regularibus exemptis, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, Episcoporum jurisdictioni in his, quæ Sacramen-

mentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis secularibus administrandis iisdem Regulares delinquant, ac propterea.

Ad I. Dubium respondit: Episcopis non licere in vim ejusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum secularium, nec loca, ubi in iisdem Ecclesiis aservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, vel ubi Confessiones personarum secularium audiuntur.

Ad II. Hac in parte Constitutionem nihil novi juris induxisse, nec ullam novam auctoritatem Episcopis in Regulares attribuisse: Ideoque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus praescribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias illorum privilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Quod si aliunde Episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublata.

Ad III. Censuit ejusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius Diocesis.

Ad IV. Non competere.

Ad V. Jus confirmandi Abbatissas minime fuisse Episcopis per Constitutionem attributam.

Ad VI. Confessores quidem extraordinarios Monialium nullatenus posse post Constitutionem illarum Confessiones audire, nisi prius ab Episcopo Diocesano idonei judicentur, & approbentur. Ordinarios vero Confessores ante Constitutionis publicationem deputatos posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confessionibus Sanctimonialium audiendis absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quod si contingat, ut illorum facultas a Sede Apostolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari.

Ad VII. Superiores regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competit audiendi Confessiones Monialium sibi subiectarum, posse, durante eorum officio, pergere sine alia Episcopi approbatione in Confessionibus audiendis illarum tantum, quae sponte, ac proprio motu id ab eis petierint. At vero eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputantur, vel qui in eorum officiis, seu dignitatibus, expleto jam tempore a Constitutionibus cujusque Ordinis, vel alias legitime praefinito, ad aliud tempus confirmantur, nequaquam posse Sanctimonialium Confessiones audire, nisi prius a Diocesano Episcopo idonei iudicati, atque approbati fuerint.

Ad VIII. Confessiones huiusmodi nullas, atque irritas esse.

Ad IX. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam censeri

approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum, sed agere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

Ad X. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatum, minime posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii.

Ad XI. Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis ejusmodi illarum Confessiones audire; sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Ad XII. Non teneri ejusmodi causam significare Superioribus regularibus; sed hoc relinquere arbitrio, & prudentiae Episcoporum, quorum conscientiam Sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, ejus rei in districto Dei iudicio rationem reddiduri.

Ad XIII. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum, & cum populi scandalo.

Qua Sacra Congregationis responsa ad se relata sel. rec. Greg. XV. & S.S. D. N. Urbanus VIII. in omnibus approbantur.

A. Card. Caetanus.
Prosper Fagnanus S. Cong. Secr.

Subsequuntur alia duo Dubia ab eadem Congregatione declarata, & a Sanctissimo D. N. approbata.

AN Regularis absque legitima licentia accedens ad Monasterium Monialium regularibus subiectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquens, a Diocesano Episcopo, tamquam Sedis Apostolicae delegato, coerceri, & puniri possit?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, posse. Quam Congregationis sententiam Sanctissimus Dominus Noster Urbanus VIII. ad se relata approbavit.

An liceat Episcopo in vim Constitutionis san. mem. Greg. XV. de exemptorum privilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatissae electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus praenunciata?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit. Regulares ex eadem Constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissae, eumque usque ad praefinitum tempus expectare, si antea ipse expresse declaraverit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse, ac praesidere. Post eam vero declarationem licere Episcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non praenunciata, ad Abbatissae electionem procedunt.

Cof. Card. de Torres.
Prosper Fagnanus S. Cong. Secr.

Coere-

LI.

Coeremoniale in Electione Summi Romani Pontificis observandum.

Plenissimam hujus Pontificis circa Pontificis electionem dispositionem vide in ejus Constit. XLI. Aeterni. Tom. V. Par. IV. fol. 400. pro cuius observantia postea editum fuit Coeremoniale, cujus tenorem habes hic insertum.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuum rei memoriam.

Causa hujus Constitutionis

Decet Romanum Pontificem, quae ad Ecclesiae Catholicae felix regimen salubriter a se statuuntur, ut quam facillime observentur, pastoralis sollicitudine providere, & ea, per quae a se decreta debitum sortiuntur effectum, stabilire. Siquidem postquam novam Constitutionem de Romani Pontificis electione, ob causas in ea expressas, divina aspirante gratia edidimus; ne ejus usus, & observantia, veteri Rituali Ecclesiae Romanae fere inutili ob eandem Constitutionem reddito, propterea Coeremonialis directione destitueretur; novum, prout sequitur, confici mandavimus. Quod cum post nonnullorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium commissimus, diligens, ut res postulabat, adhibuitur examen, confectum fuerit, & a Nobis approbatum; ut illud cum omnibus, & singulis in eo contentis, inviolabiliter observetur, ex nostri pastoralis officii debito, providendum censuimus.

Tenor autem, illius est, qui sequitur.

C O E R E M O N I A L E.

De Exequiis Romani Pontificis.

Romano Pontifice vita sancto, Cardinales, praefinito in prima Congregatione juramento de observanda Constitutione Gregorii Papae XV. de reformatione Conclavis, una cum aliis Constitutionibus, quae legi, & jurari in ea haecenus consueverunt, exequias pro ejus anima, juxta ritum huc usque observatum, per novem continuos dies facere debent, nisi forte in illis novem diebus aliquod festum ex praecipuis, & magnis incidere, propter cuius observantiam exequias intermittere debere Cardinalibus videretur; hoc enim casu in numero quidem novem dierum exequiarum intermissarum dies computantur: verum impenfa, quae in omnibus exequiis facienda esset, in pauperes Christi juxta Pii IV. Constitutionem distribuenda est.

Impensis exequiarum.

Qua etiam Constitutione, ut exequiarum impensis, quae jam in immensum excreverant, modus, & finis aliquis esset, cautum est, ne impenfa illorum novem dierum, decem ducatorum millium summam, computatis omnibus, praeter regalia Popu-

lo Romano praestari solita, excederent, & ut earum impenfarum distributio juste fieret, tribus ex antiquioribus Cardinalibus, uni scilicet ex quolibet Ordine, ac S. R. E. Camerario, commissa fuit.

Exequiis defuncti Pontificis completis, & interim Conclavi opportuno preparato, Cardinales in Basilica S. Petri, vel alibi pro temporis, & loci opportunitate conveniunt, ubi per Decanum Sacri Collegii, vel eo impedito, per alium ex antiquioribus Cardinalibus, Missa de Spiritu Sancto celebratur, & in fine per aliquem Praelatum, aut alium virum doctum habetur oratio, in qua monentur, ut sepositis omnibus privatis affectibus, solum Deum praec oculis habentes, Sanctae Romanae, & universali Ecclesiae de Pastore sufficienti, & idoneo providere, omni qua possunt brevitate, ac diligentia curent, ad Apostolicarum Constitutionum, & Sacrorum Conciliorum praescriptum.

Re divina peracta, clericus caeremoniarum capit Crucem Papalem, & procedit, quam Cardinales sequuntur, Episcopi primum, deinde Presbyteri, postremo Diaconi cum suis cappis violaceis: Crucem praecedunt familiares Cardinalium, & immediate Cantores (Hymnum, Veni Creator Spiritus, cantantes) post Cardinales sequuntur Praelati, atque ita processionaliter procedentes, Conclave ingrediuntur, & cum ad Cappellam pervenerint, Cardinalium Decanus apud Altare dicit Orationem (Deus, qui corda fidelium) qua finita leguntur, & jurantur per Cardinales Constitutiones de Romani Pontificis electione, & una cum eis Constitutio novissima Gregorii XV. Deinde Cardinales post sermone habitum per Decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negotium rite, & recte peragendum hortatur, ad cellas forte inter eos juxta Constit. Pii IV. distributas, divertunt, & post prandium omnes rursus simul congregantur, Officiales Conclavis, & alii praestant Sacro Collegio juramenta consueta.

Cardinales autem ingressi Conclave non exeant, vespere reverfari, sed in ipso omnino permaneant. Ipsique Conclave, post ter jussu Cardinalis Decani personatam campanulam, videlicet prima vice circa primam horam noctis, secunda circa secundam, & tertia circa tertiam, exclusis omnibus, qui in conclavi remanere non debent, intus, & extra claudatur, & claves S. R. E. Camerario, ac Magistro caeremoniarum, & Praelatis custodibus Conclavis juxta solitum assignentur.

Deinde accensis funalibus, tres Cardinales capita ordinum, & Camerarius una cum Magistro caeremoniarum latebras, & angulos omnes Conclavis diligenter perquirunt, ne quis ex iis, qui esse in Conclavi prohibentur, intus remanserit. In Conclavi autem esse possunt familiares Cardinalium, & alii officiales, & ministri Conclavis, qui in Constitutione Pii IV. recensentur, quibus adduntur duo alii, unus famulus pra-

Missa Spiritus Sancti in Basilica S. Petri celebranda.

Ingressus in Conclave.

Hora claudendi Conclave.

Conclavitis.

Magistris cœremoniarum, & alius pro Secretario Sacri Collegii, hac tamen conditione adjecta, ut famulus Magistrorum cœremoniarum, actu uni ex illis inserviat, & per sex menses ante fuerit ejus continuus commensalis, quæ conditio in famulo Secretarii similiter exigitur: omnium autem istorum Conclavistarum post prandium diei sequentis fit recognitio, ne quis inter illos forte esset ex iis, qui in Conclavi esse non possunt, quæ recognitio, ut certius fiat, jubentur Conclavistæ omnes intrare cappellam, & postea singillatim recensentur.

Colloquiis, literis, cibis, & vestibus.

Clauso conclavi, servari debent omnia, quæ de colloquiis, literis, & cibis, & quæ de non ingredientibus Cardinalibus, aut iisdem, aut eorum familiaribus, postquam ingressi sunt, exeuntibus, in Constitutione Pii IV. sancita sunt. Quod vero attinet ad vestes, non solum cum ad electionem Cardinales procedunt, croccis uti debent, sed juxta vetus cœremoniale, cum aliquid collegialiter agendum est.

Capitulis ante electionem ac voce activa Cardinalium.

Porro capitula, quæ ante electionem fieri solent a singulis Cardinalibus subscribenda, etiam ad favorem conclavistarum fieri poterunt, vel ante ingressum conclavis, vel post ingressum, dummodo per ea non retardetur, aut differatur ingressus, vel electio. Quoniam autem juxta Constitutionem Pii IV. Cardinales, qui saltem in ordine Diaconatus constituti non sunt, ad electionem Romani Pontificis non admittuntur, inspicendum erit, antequam ad electionis negotium procedatur, an aliqui ex Cardinalibus presentibus ordine prædicto careant, nam si careant, a suffragio ferendo excludendi erunt, nisi privilegio Pontificio muniti sint. De Cardinali autem, cui ante mortem Pontificis, os fuit clausum, aliquando dubitatum est, verum a Pio V. fuit hæc dubitatio sopita per ejus decretum editum 26. Januarii 1571. quo declaravit hujusmodi oris clausuram cœremoniam quamdam esse ea de causa introductam, ut Cardinales antequam in Consistoriis, & Congregationibus suffragium ferant, de modestia, quæ ab ipsis in his, & aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoveantur, non autem pertinere ad præcipuam Cardinalium facultatem, quæ circa summi Pontificis electionem versatur, quæ declaratio Pii V. semper hucusque observata fuit.

Modo præcedendi nullitates electionis ab exequutoribus Constit. Gregorianæ.

Quoniam autem ex Gregoriana Constitutione ad actum electionis sub pœna nullitatis devenire non possunt Patres, nisi clauso Conclavi: tres Cardinales, & Camerarius ejusdem Constitutionis exequutores deputati providebunt, ut statim post clausum Conclave, diligens per aliquos fiat inquisitio super ipsa clausura, eaque in effectu repta, curabunt, ut de ea publicum fiat documentum per Magistrum cœremoniarum rogandum, & post hujusmodi documentum, etiam si Conclave in totum, vel pro parte de facto apertum fuisse reperiatur, semper tamen clausum, & pro clauso cœseri, & haberi debet ad effectum validitatis electionis, donec de consensu duarum partium

Cardinalium præsentium, per secreta suffragia apertum esse declaretur. Hæc tamen declaratio, electioni, quæ ante ipsam facta fuerit, nullatenus præjudicare debet, neque ob ipsam declarationem, præcedens electio impugnari potest.

Formis electionis.

Mane sequenti post clausum præcedenti nocte Conclave, post solitum campanulæ sonum conveniunt Cardinales in eo præsentibus, qui infirmitate non sunt impediti, ad Cappellam Paulinam, & ibi celebrata consueta Missa, & facta Cardinalium communiione, statim ad negotium electionis procedere debent, quod quidem hodie ex Greg. Constitutione, uno tantum ex tribus modis, sive formis peragendum est, alioquin electio nullitatis vitio subiacet.

Prima forma eligen. Papam per inspirationem.

Primus modus est, qui quasi per inspirationem vocatur: quando scilicet omnes Cardinales, quasi afflati Spiritu Sancto, aliquem unanimiter, & viva voce Summum Pontificem proclamant: circa quem modum, ex Constitutione Gregoriana, infra scripta notari possunt.

Primum, hæc forma electionis præstari potest solum in conclavi, & eo clauso. Secundo, debet fieri electio secundum hanc formam ab omnibus, & singulis Cardinalibus in Conclavi præsentibus. Tertio, communiter, & nemine eorum dissentiente. Quarto, nullo præcedente de persona tractatu, & per verbum (eligo) intelligibili voce prolatum aut scripto expressum, si voce non possit proferri, exemplum autem hujus potest esse hujusmodi. Si aliquis Patrum, clauso Conclavi, nullo, ut præsertim præcedente speciali tractatu, diceret, Reverendissimi Domini: perspecta singulari virtute, & probitate Rm̄i Dñi N. judicarem illum eligendum esse in summum Pontificem, & ex nunc ego ipsum eligo in Papam. Deinde hoc audito, si ceteri Patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam, eodem verbo (eligo) intelligibili voce prolato, aut si non potest, in scriptis expresso, eundem N. de quo nullus specialis tractatus præcessit, communiter eligerent, ipse N. esset canonice electus & verus Papa, secundum hanc electionis formam, quæ dicitur per inspirationem.

Secunda forma eligen per compromissum.

Secundus modus est per compromissum, quando scilicet Cardinales ad electionem per hanc formam, seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex Patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiæ Catholicæ provideant de Pastore, cujus formæ praxis potest esse hujusmodi. Primo omnes, & singuli Cardinales in Conclavi præsentibus, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex Patribus compromissum faciunt, exempli gratia in hanc formam. *In nomine Domini. Amen.* Anno ab ejusdem & c. Mense & c. Die & c. Nos Episcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. E. Cardinales omnes, & singuli in Conclavi existentes, videlicet NN. (& singillatim omnes nominentur Cardinales) elegimus, & eligimus per viam procedere compromissi, & unanimiter, & concorditer, nemine discrepante, elegimus com-

compromissarios N. N., & N. Cardinales & c., quibus damus plenariam facultatem, & potestatem providendi S. R. E. de Pastore, sub hac forma videlicet (Hic optimum erit, ut Cardinales compromittentes expriment modum, & formam, secundum quam compromissarii debebunt eligere, & secundum quam electus debet cœseri verus, & legitimus Papa, ut puta, si electi sint tres compromissarii, declarandum est, an ad hoc, ut electio sit valida, prius proponere debeant Sacro Collegio personam, vel personas ab ipsis nominandam, vel nominandas ad Pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere: an omnes tres debeant convenire in unam personam, an vero sufficiat, quod duo in unam concordent, & an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam aliquem extra Collegium: & alia his similia.) His autem, vel aliis similibus expressis, addi compromissioni solet tempus, ad quod usque volunt Cardinales, potestatem compromissarios habere eligendi, & postea subjunguntur hæc verba. Et promittimus Nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem DD. compromissarii secundum formam prædictam duxerint eligendum, vel alia ad formam compromissarii præscriptam accommodata.

Secundo, completo hujusmodi mandato, compromissarii ad partem in aliquo loco separato se conferunt, & de electione faciendâ tractant, & solet inter eos præmitti protestatio, quod per quamcumque prolationem verborum, suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponant. Et hæc protestatio videtur necessaria inter compromissarios, ut verbis humanis, & reverentialibus inter se sine præjudicio uti possint.

Tertio, facta per compromissarios electione secundum formam eis præscriptam, & servatis iis, quæ Gregorius Decimusquintus in sua Constitutione iussit, electus per hujusmodi viam compromissi est canonicus, & verus Papa.

Tertia forma eligen. per simplex scrutinium vel cum accessu.

Tertius modus, seu forma Electionis Romani Pontificis est, quæ vocatur per scrutinium, vel per scrutinium, & accessum, cujus formæ ritus secundum Gregorianam

Constitutionem, quæ vult non solum scrutinium fieri secretum, sed etiam accessum, continet tres actiones, alteram, quæ ante scrutinium, alteram, quæ scrutinium, & tertiam, quæ post scrutinium appellari potest.

Ante scrutinii actus sunt quinque, videlicet præparatio schedularum scrutinii, & accessus; Extractio scrutatorum, & deputatorum pro votis infirmorum per sortem; scriptio schedularum scrutinii; Earum complicatio, & obsignatio.

Schedularum præparatio ad Magistris Cœremoniarum pertinet, qui eas impressas, ubi fieri poterit, alioquin unius manus scriptas secundum formam inferius describendam accipiant tam pro scrutinio, quam pro accessu, & ponent in duobus discis vulgo (bacili) nuncupatis, quos in mensa ante Altare collocabunt, ut inde possint Cardinales, cum opus fuerit, schedulas sumere.

Forma schedularum scrutinii.

Forma autem schedulæ scrutinii quoad ejus figuram attinet, erit altera parte longior, hoc est plus longa, quam lata; longitudo ejus erit fere palmi, latitudo autem dimidii palmi. Quo vero ad contenta in ea, in anteriori ejus parte, quæ brevitatis gratia facies nominari potest, tria continere debet: Primo in superiori parte secundum ejus latitudinem, duo hæc verba (Ego Card.) cum tanta ab invicem distantia, ut inter ipsa, nomen proprium Cardinalis eligentis scribi possit, & paulo inferius duos circulos parvos, ad loca sigillorum indicanda.





Secundo, in medio continere debet hæc verba.

Eligo in Summum Pontificem Reverendissimum Dominum meum D. Cardinalem.




Forma schedulæ accessus.

Tertio, in parte inferiori alios duos parvos circulos, ad loca sigillorum similiter demonstranda. Forma vero schedulæ accessus, eadem prorsus est, quæ scrutinii, nisi quod in medio ejus, loco verborum (Eligo in Summum Pontificem Rm̄um Dominum meum Card.) ponuntur hæc verba (Accedo Rm̄o D. meo D. Cardinali. Verum facilius, quæ dicta sunt, percipientur ex infra scriptis figuris, & exemplis.

EXEMPLUM FACIEI SCHEDULÆ
SCRUTINII.

	Ego	Card.	
			
<i>Eligo in Summum Pontificem Rōmum D. meum D. Cardin.</i>			
			



EXEMPLUM FACIEI SCHEDULÆ
ACCESSUS.

	Ego	Card.	
			
<i>Accedo Reverendissimo Domino meo D. Cardin.</i>			
			

In exteriori autem parte Scedularum tam Scrutinii, quam Accessus, que ter-gum nominari potest, duo sunt imprimen-di limbi ex illis, quos ad ornatum librorum impressores adhibent, & vulgari vocabulo, *fregi*, nuncupant., quorum primum circa sui medium continet hoc verbum, *Nomen*, impressum secundum longitudinem ipsius limbi; alterum vero continet hoc verbum,

Signo, similiter impressum, ut præcedens. Hi autem limbi excogitati sunt ad obscu-randum diaphanum paginarum, ne scilicet ad lumen nomina, & signa eligentium, conspici possint; ubi vero impressoris copia non fuerit, limborum defectus lineis sup-pleri poterit. Sed hæc fient clariora per in-strapositam figuram tergi Scedularum scri-utinii, & accessus.

EXEMPLUM TERGI SCHEDULARUM
SCRUTINII, ET ACCESSUS.

 <i>Nomen.</i>
 <i>Signa.</i>







De Scrutato-
ribus, & In-
firmariis.

Secundus actus Antescrutinii est extra-
ctio Scrutatorum, & Deputatorum pro vo-
tis infirmorum; quæ extractio, antequam ad
Scrutinium procedatur, sorte faciendâ est,
hoc modo. In uno sacco, aut vase, pu-
blice ponantur tot Schedulæ, vel si magis
placet, spherulæ lignæ palam numeratæ,
quot sunt Cardinales præsentés in Concla-
vi, cum eorum nominibus; Deinde per ul-
timum Diaconum extrahantur primo Scruta-
tores tres, & postea tres Deputati pro vo-
tis infirmorum, qui brevitatis gratia infir-
marii appellari possunt, de quorum om-
nium officio inferius suo loco scribetur.
Quod si in extractione Scrutatorum, & in-
firmariorum, ac etiam Recognitorum, de
quibus suo loco dicitur, extracti fuerint
Cardinales, qui ob infirmitatem, aliudve
impedimentum muneribus prædictis satisfacere
non possint, alii non impediti, loco
illorum extrahantur. Peracta vero extra-
ctione, schedulæ, seu spherulæ eorum, qui
extracti fuerunt, in sacculum, seu in vas ite-
rum coniciantur.

Tertius actus Antescrutinii est Schedu-
larum Scrutinii scriptio, quæ fiet hoc mo-
do. Ad duas, vel plures parvas mensas,
quæ erunt cum atramento, & calamis pa-
ratæ in loco Cappellæ apto, ut qui scribunt
conspici possint, quid vero scribitur, non
possit, accedent Cardinales per ordinem, in-
cipiendo a Decano, & ibi sedentes in sca-
bellis paratis, Schedulam quisque suam ac-
ceptam prius ex disco, scribet hoc modo.
Primo in prima parte in spatio inter verba
(Ego Card.) scribet proprium nomen; de-
inde in secunda parte nomen illius, quem
eligit, caractere tamen, quantum fieri po-
test, alterato, ut manus scribentis cogno-
sci non possit; & caveat, ne plures in Schedu-
la scribat, quia suffragium juxta Grego-
rianam Constitutionem esset nullum. In ter-
tia vero parte signa, hoc est numerum ali-
quem, & dictum aliquod Scripturæ, seu
verbum, aut aliquid hujusmodi; ut in exem-
plo, pro faciliiori intelligentia oculis sub-
jecto, videre est.

EXEM-


EXEMPLUM SCHEDULÆ SCRUTINII
SCRIPTÆ.

	<i>Ego Bonifacius Card. Caetanus.</i>	
		
	<i>Eligo in Summum Pontificem Rev. D. meum Cardin. Baronium.</i>	
		
	<i>18. Gloria in excelsis,</i>	

Eminentissimo, & Reverendissimo Principi

**JOANNI JACOBO
M I L L O
TITULI S. CHRYSOGONI
S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO.**

JOANNES MAINARDI FELICITATEM.



Quo tempore, JACOBE CARDI-
NALIS AMPLISSIME, plurimis
magnisque me beneficiis devinxisti, nulla mihi
profecto acrior haesit animo cogitatio, quam

obi

**

ut

BULLARUM

PRIVILEGIORUM AC DIPLOMATUM

Romanorum Pontificum

AMPLISSIMA COLLECTIO

*Cui accessere Pontificum omnium Vita, Nota,
& Indices opportuni*

OPERA ET STUDIO

CAROLI COCQUELINES

TOMUS QUINTUS

PARS QUINTA

Ab Anno II. GREGORII XV. usque ad Annum III.
URBANI VIII. scilicet ab Anno 1622.
usque ad Annum 1626.



Paulus secunda datam sibi sapientiam scripsit quae indocti et instabiles depravant sicut et caetera scripturae

ROMÆ MDCCLVI.

TYPIS, ET SUMPTIBUS DE MAINARDIS

SUPERIORUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO SANCTISSIMI.



46586

BX855

.J4

1733-62

v.5

t.5

c.1

ut publico aliquo testimonio, quantum benignitati Tuae debeam, omnibus declararem. Verum, ut qui tenuiore fortuna utar, vehementer dolebam, omnem mihi interclusam esse viam, quâ huic desiderio meo satisfacerem. Opportune tandem ea sese obtulit occasio, quâ si minus pro **AMPLITUDINE TUA**, Tuorumque in me magnitudine meritorum, pro mea certe optima in Te voluntate, & observantia, ac pro iis, quae suppetunt, viribus remunerari Te possim aliquo munere. Cum enim Tomi Quinti Collectionis Apostolicarum Constitutionum Pars Quinta meis impressa formis edenda esset in lucem, illam clarissimo Nomini Tuo consecrandam decrevi, quae firmissimi, quo metueris, patrocinii Tui, summique, quo ego Te prosequor, obsequii veluti testis prodiret in publicum. Neque vero hic, quemadmodum ii solent, qui magni alicujus Viri, & Illustri Nomen libris suis inscribunt, abstinere me propterea profitebor tuis laudibus praedicandis, quod eas existimem Epistola comprehendere non posse. Nam qui ita agunt, ii magnitudinem argumenti sui videntur deprimere, quasi campum, quo expatiari sibi liceret, si nacti essent ampliorem, eas laudes pro dignitate se persequi posse considerent. Ego vero de tuis laudibus

ideo

ideo mihi tacendum existimo, quod ne prolixissimo quidem commentario intelligam eas me posse complecti. Illud tamen tacitus nullo modo praeterire possum, quantus vir ipse sis, ex **BENEDICTI XIV.** judicio gravissimo ac maximo, quemvis facile posse conicere; qui disper-tiendis virtuti praemiis Te praefecerit, eamque Reipublicae partem tibi mandaverit, qua rite recteque administranda salus universae Reipublicae continetur. Quo quidem munere obeundo summa semper eminuit integritas Tua & justitia & fides; qui Te nec importunis precibus, si quae ab eo quod aequum est alieniores videantur, expugnari, vel crebris salutationibus servilique obsequio demulceri patiaris, virorumque doctrina, & probitate praestantium postulationes ultro beneficiis tuis antecapere soleas. Praeterea Sapientissimus **PONTIFEX**, propter summam omnis anteaetae vitae Tuae innocentiam, probatamque diu multumque singularem prudentiam Tuam, qui sibi omnium carissimi esse debent Nepotes suos curae & institutioni Tuae optimo consilio mandavit: quo quidem nullum majus argumentum esse puto, prudentissimum Principem eas omnes in Te deprehendisse virtutes, quibus assidua Tui consuetudine

expe-

expetendum maxime fit imbui nobilissimorum
adolescentum ingenia . Quamobrem de Tuis
laudibus , quas vel animi Tui respuit magni-
tudo , vel oratio mea satis assequi posse de-
sperat , silendum mihi esse ratus , Te , quod
superest , oro obtestorque , ut hoc munusculum
aequo libentique animo excipias : quod si tibi
gratum fuisse intellexero; ex ea , quae semper
ad hunc diem meo animo insedit , cogitatione
declarandi summam in Te meam voluntatem
& observantiam , profecto mihi videbor fru-
ctum esse amplissimum consequutus . Vale.

IN-



INDEX CHRONOLOGICUS PONTIFICUM

*Quorum Bullae in hac Tomi Quinti
Parte Quinta continentur .*

- GREGORIUS XV. An.1622. habet Conf.LIX. Pag.1.
URBANUS VIII. An.1623. habet Conf.CLXXXIII. 117.



IMPRI-